

## 1464 desembre 5. Andorra la Vella

*Joan Pellicer, del Vilar, jurat de Canillo, Tomàs Calba, jurat d'Encamp, Guillem Call, de Segudet, jurat d'Ordino, Bernat Martí, d'Anyós, jurat de la Massana, Arnau Ribot, jurat d'Andorra i Ramon Ribot, jurat de Sant Julià, en representació de totes les universitats de les valls d'Andorra, venen a Jaume Esteve, de Bixessarri, la casa que havia estat del seu avi Esteve, pel preu de quinze lliures.*

[O]. Original no localitzat. — R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 55, fols. 18-19v.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 92-93.

Noverint Universi quod nos, Iohannes Pelicer loci del Vilar et iuratus parrochie de Canilleu, Thomas Calba, iuratus parrochie d'Encamp, Guillelmus Call loci de Segudet et iuratus parrochie d'Ordineu, Bernardus Martini, d'Anyós, iuratus parrochie de la Masana, Arnaldus Ribot, iuratus parrochie Andorre, et Raymundus Ribot, iuratus parrochie de Lòria, nominibus propriis et universitatum dictarum vallium Andorre, gratis et ex certis nostris scienciis, per nos, nominibus antedictis, et omnes heredes et successores nostros quoscumque in dictis officiis, vendimus et ex causa huiusmodi vendicionis concedimus vobis Iacobo Stephani loci de Bexassarri, parrochie Sancti Iuliani de Lòria, presenti, et vestris et quibus volueritis perpetuo, totum illud hospicium quod fuit d'en Steve de Bexassarri, avi vestri, cum omnibus suis proprietatibus et pertinenciis universis. Hanc autem vendicionem et ex causa huiusmodi vendicionis concessionem ffacimus nos, dicti venditores, vobis, dicto Iacobo Stephani, emptori predicto, et vestris et quibus volueritis perpetuo de predicto hospicio et omnibus aliis [pertinenciis], cum introhitibus et exitibus et omnibus iuribus et pertinenciis eorum universis et nobis sive universitatibus nostris antedictis spectantibus et sicut per omnia dictarum Vallium fuit nobis, nominibus predictis, venditum seu adiudicatum, prout constat in libro dictarum Vallium, sicut melius dici potest et intelligi ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum eciam intellectum. Et extrahimus predicta que vobis, nominibus antedictis, vendimus de iure, dominio, proprietate et posse nostri et nostrorum eademque omnia et singula in vestrum vestrorumque ius, dominium, proprietate et posse mittimus et transferimus irrevocabiliter pleno iure, ad habendum, tenendum omnique tempore paciffice possidendum et ad faciendum inde vestras in omnibus libere potestates. Inducentes vos de presenti in

corporalem possessionem seu casi predictorum que vobis vendimus et in ea vos et vestros et quos volueritis facere perpetuo existere posiores. Preterea, ex causa huiusmodi vendicionis et alias, prout melius et plenius ach tocius de iure valere poterit et tenere, damus, cedimus et mandamus atque trasferimus vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo omnia iura nostra et tocius universitatum dictarum Vallium omnesque actiones reales et personales, mixtas, utiles et directas, ordinarias et extraordinarias et alias quascumque nobis competentia et competentes competereque debentia et debentes in predictis que vobis vendimus et contra quascumque personas et in quibuscumque bonis et rebus racione et occacione eorundem. Quibus iuribus et actionibus supradictis positis vos et vestri et quos volueritis uti et experiri, agendo scilicet et respondendo, deffendendo, excipiendo, proponendo et replicando et omnia alia et singula faciendo et libere exercendo in iudicio et extra iudicium quecumque et quemadmodum nos facere poteramus ante huiusmodi venditionem et iurium et actionum cessionem et possemus nunch et eciam posteha quandocumque. Nos enim facimus et constituimus, nominibus antedictis, vos et vestros in hiis dominos et potentes actores et procuratores ut in rem vestram propriam ad faciendum inde vestre libitum voluntatis, sine contradictione et inpedimento nostri et nostrorum et alicuius curie et persone. Precium vero predictorum que vobis vendimus est quindecim librarum. Et ideo, renunciando legi deceptis ultra dimidiam iusti precii subveniendi et [accione] in factum et omni alii iuri, rationi et consuetudini contra [hiis obvian]tibus, donamus et remittimus vobis et vestris et quibus [volueritis in] donacione pura, perfecta, simplici et irrevocabili inter vivos [si quid] predicta que vobis vendimus plus modo valent aut amodo valebunt precio iamdicto. Insuper, convenimus et promittimus vobis, dicto emptori, quod predicta que vobis vendimus faciemus vos et vestros et quos volueritis habere, tenere et in sana pace perpetuo possidere contra omnes personas ffrancha et quitia ab omni honore debitorum et alia quecumque obligacione, exceptis censibus [ecclesie], quodque tenebor vobis et vestris semper de firma et legali evictione ach legitima defensione eorundem et eciam iuxta pactum inter nos et vos inhitum et conventum in hunch qui sequitur modum: quod si forsan aliqua vel alique persone facerent, proponerent vel moverent ullo unquam tempore contra vos vel vestros in hiis successores aliquam actionem, questionem, petitionem vel demandam, littem vel controversiam, de iure vel de facto, in iudicio et extra iudicium, aut aliter in predictis vel aliquo predictorum que vobis vendimus vel racione aut occacione eorum, gratis et ex certa sciencia convenimus et promittimus vobis, dicto emptori, quod incontinenti cum inde a vobis vel vestris fuerimus requisiti seu alterum fuerit requisitus, opponemus nos

defencioni vestri et vestrorum et quod pro vobis et vestris respondebimus et satisfaciemus cuilibet inde querelanti, et quod in principio litis sive litiu[m] suscipiemus in nos onus litigii, et quod egemus et ducemus causam seu causas ipsas nostris propriis su[m]ptibus et expensis a principio scilicet liti[s] usque ad finem vel vestros et vestri, si volueritis, positis ipsam causam seu causas agere et ducere per vos ipsos; et hoc sit in electione vestri et vestrorum. Nos enim remittimus vobis et vestris super hiis necessitatem denunciacionis gratis et ex certa sciencia ach ex pacto. Et si vos vel vestri eligeritis ipsam causam seu causas agere et ducere pro<sup>1</sup> vos ipsos, con[v]enimus et promittimus vobis, dicto emptori, quod restituemus, [dabi]mus et emendabimus vobis et vestris aut cui volueritis indilate omnes et singulas missiones et expensas que circa et extra ipsas litem seu lites fient et quidquid et quantum a vobis vel vestris evictum fuerit de predictis, simul cum omni dampno, missionibus et interesse que inde vos et vestri feceritis et sustinueritis quoquo modo sive obtineatis in causa seu causas sive eciam subcunbatis, et quod alias super predictis omnibus et singulis servabimus vos et vestros penitus sine dampno. Super quibusquidem missionibus, dampnis et interesse creadatur vobis et vestris plano et simplici verbo, nullo alio probacionum genere requisito. Et pro predictis omnibus et singulis complendis et firmiter attendendis, tenendis et servandis, obligamus vobis et vestris omnia bona nostra et dictarum universitatum vallium Andorre mobilia et immobilia ubique, habita et habenda.

Quod fuit actum in loco Andorre, die quinta mensis decembris, anno a nativitate Domini M<sup>o</sup> CCCC sexsagesimo quarto.

Sig+++++na nostri Iohanni Peliceri, Thome Calba, Guillermi Call, Barnardi<sup>2</sup> Martini, Arnaldi Ribot et Raymundi Ribot predictorum, qui hec laudamus, concedimus et firmamus.

Testes huius rey sunt: Iacobus Palancha castri de Thor, Iohannes Graner loci de Belpuy, diocesis Rodinensis, et Guillermus Carreu, minor dierum, scriptor Castriboni<sup>3</sup>.

1. *En lloc de per.* — 2. *En lloc de Bernardi.* — 3. *El raillat amb tres línies verticals a totes les pàgines i les lletres ct a l'inici del document, al marge esquerre, que equivalen a l'expressió clausum traditum, indiquen que es va fer el document en pública forma, que va ser clausurat pel notari i lliurat als interessats.*